GEORGII ERNESTI STAHLII,

MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.

PROPEMPTICON INAUGURALE

HISTORIAM PATHOLOGICAM AFFECTUUM CUM COXARUM DOLORE SYMBOLIZANTIUM HIPPOCRATICAM EXHIBENS.



Pinionum commenta delet dies, Naturæ judicia confirmat; aurea certè eſt, jam inde ab antiquo tempore, *Senecæ* obſervatio, & ad poſteritatem pulcherrimum elogium, unde inſiſtere laudatiſſimæ huic virtuti, ſub optima atque firma ſpe, imò certa fiducia, audere poſſint, quotquot ſimplex ejus *evidentia*, & inconcuſſa *conſtantia*, oblectat. Nempè, quantumlibet notiſſima ſit μετεωρία mentis humanæ, ut ſemper *levia* potius & *immatura* ſectari malit, quam inſiſtere *firmo veritatis* tramiti: Tantò magis, cum paſſim etiam *ſimplicitas* ipſa veritatis, ſordere quaſi videatur, præ Commentorum quibusdam ſcitamentis, (quamvis rem rectiùs æſtimando reverà potiùs *connexio*, quam veritas in rebus diſtinctis ſervat, certiſſimam difficultatem objiciat, ut paſſim potiùs *inventiones* illæ ſciolæ, præ *veritatis nexu*, non niſi leviſſimum quiddam ſiſtant & exhibeant:) Manet tamen ſemper, non ſolùm ipſa Veritas in ſe, *inconcuſſa*; Sed etiam hinc inde talia adhuc ejus *teſtimonia*, ut cum die & tranquilliore animi adverſione, omni modo etiam apparitioni atque detectioni ejus luculentiori, aditus pateat. Non patitur tempus, ut hanc rem proliXiùs per varia ſpecimina ſtabiliamus; Sufficere poteſt unum, neque leve aut exiguum, nec etiam ullo merito dubiæ certitudinis, quod deſumere placet ex *Hippocratis* annotationibus. Enim verò certò ſcio, quod quilibet & induſtrii, & rerum ſuarum rectè ſatagere allaborantes, Medici Practici, mecum conſenſuri ſint, quod *Hippocrates*, quæ, tum ab *antiquorum* Aſclepiadum, tum à *propria*, diligente obſervatione annotavit, atque in poſteritatis etiam uſum conſignavit, quicquid ſimplici quaſi *commemoratione hiſtorica* complexus eſt, & ſatis *diſertè* deſcripſit, non aliter *certum* & *indubium* reliquerit, quam ſi ex ipſo quaſi veritatis adyto illud tanquam immediatè emanaſſet. Ubi verò ad humana commenta, *Speculationes* inquam de *cauſis* atque *rationibus* harum rerum procedit; aut etiam aliquid tanquam ad formulam ita *præſuppoſitarum cauſarum* producit, etiam *hiſtoriæ* ſimpliciori potiùs propius habendum: Ibi certè paſſim talia proferat, qualia antiquiores quidem hinc in-

de

de non ſine ingente labore colorare ſategerunt: Recentiores autem plerique rariùs agnoſcere aut approbare in animum inducunt. Do hujus rei vadem, imò Vatem, prolixum locum, quem commemorat, *Prorrhet. Lib. II.* proximè finem, ſequentibus verbis: *De* Coxendicum affectibus *ita diſquirere* (σκέπτεσθαι, *oportet*. Quibus *Senioribus* vehementiſſimi torpores adſunt, *frigeſcuntque tum lumbi, tum crura, pudendumque arrigi nequit, & alvus, niſi coacta, non reddit, fæculentusque ac multus* mucus *excernitur: his morbus erit longiſſimus; prædicendumque eſt, annum ut minimum, duraturum morbum, ab eo tempore, quo fieri cœpit, & opem non, niſi Vere & æſtate expectandam eſſe. At verò* juvenibus *non quidem minus* doloris *inducit coxendicum morbus, verùm brevior eſt: nam quadrageſimo die liberantur. Sed neque torpores vehementes accedunt, neque admodùm frigent crura & lumbi. At quibus hic morbus eſt in* lumbis *ac* cruribus, *neque tamen affligit adeò ut decumbant, conſiderare oportet, an alicubi ſint* tumores *in coxa; & interrogare, an ad ingven dolor progrediatur. Si enim ambo hæc adfuerint, morbus protrahitur. Interrogandum etiam eſt, an in femore torpores inſint, & ad* poplitem *progrediantur: & ſi hoc fateatur, rurſus rogandum, an per tibiam ad ſummum* pedem *tendant. Qui enim pleraque horum confeſſi fuerint, his dicendum, crura nunc calida nunc frigida fore. Quibuscunque verò hic morbus* in lumbis evaneſcens, deorſum *vertitur, eos confidentes eſſe jube. At quibus, coxis ac lumbis non relictis,* ſurſum *procedit, id grave fore prædicito. Quibus autem circà articulos dolores ac tumores oriuntur, ac* deſinunt, non more podagrico, *in his comperies* viſcera magna, *& in urina, id quod deſidet, album. Et talis ſi tempora elevaverit, dicet ſe ſæpe dolore; dicet etiam,* ſudores *ſibi* nocturnos *oboriri. Si verò neque in urina ſubſidet ejusmodi ſedimen, nec ei ſudores oriuntur, periculum eſt, ne aut debilitentur articuli, aut abſceſſus quem favum nominant, ſub ipſis naſcatur. Fit autem hic morbus iis,* quibus in pueritia, & juventute ſangvis è naribus fluere ſolitus deſiit. *Proindè interrogandum eſt de* ſangvinis eruptione, *an* in ju-

ventute *facta fuerit*: *& an prurigines in pectore & in dorso insint. Fit & iis*, *quibus alvus* ingentes dolores *excitat* citra exturbationes, *& quibus* hæmorrhoides fiunt: id enim horum morborum principium eſt. *Si verò malo colore ſint homines*, *interrogandi ſunt*, *an* capitis dolore *conflictentur*: *hoc enim fatebuntur*. *Quibus vero ex his* alvi dolores *in dextris fuerint*, *dolores his* acriores *fiunt*, *& præſertim quum in* hypochondrio *juxta hepar reliquiæ doloris ſubſtiterint. His autem doloribus prodeſt* ſonus *ſtatim in alvo obortus*. *Poſtquam autem dolor quieverit*, *urinam craſſam ac viridem mejunt. Atque hoc morbi genus letale non eſt*, *verùm valdè diuturnum. Quum autem jam vetuſtus fuerit morbus*, *homines ex ipſo cœcutiunt*. *At* de ſangvine *interrogare oportet*, an in juventute fluxerit, *& de viſus hebetudine*, *& de urinœ redditæ virore*, *& de* ſtrepitibus, an inſint, *&* oborti proſint. *Hæc enim omnia fatebuntur*. In univerſis his propoſitionibus, manifeſtum eſt, agere *Hippocratem* antè omnia *methodo hiſtoricâ*, tam circà præterita, quam *præſentia conjuncta*, & ipſa ſubſequi, (non per rationem æquè, quam per *experientiam*) *ſolita* atque ſic tanquam certò *prædicenda*. Ubi nempè prudenter utique nihil quicquam loquitur de *modo cauſandi*, *cur* tales affectus ita longi & pertinaces ſint? *Cur* alibi ſurſum, alibi deorſum, tendant. *Cur* qui ſurſum, plus, qui deorſum, minùs periculi portendere prædici poſſint, &c. Sed commemorat hæc omnia, ut eſſe, ut fuiſſe, ut evenire *ſoleant*. Ut verò ex his rebus, utique eliciamus, illud, quod in iisdem ſimpliciter ineſſe, & citra ullam additionem, ſaltem ordinatis ipſis propoſitionibus, ſpontè hinc reſultare apparebit, ita rem totam velut ſimpliciter enucleare licebit. Loquitur propriè de *Coxendicum affectibus*. Primò loco *ſenes* nominando, rectè indicare, licet tacitè, intelligitur, quod hi dolores *ſenioribus* familiares eſſe ſoleant: Imprimis cum circumſtantiis ſtatim allegatis. Non verò ſimpliciter *annoſos* denotare, argumentum mox ſuppeditat, dùm mox νεανίσκυς, *juvenes* illis contrà diſtinguit. Quam rem maximè elucidat, *Celſus*, qui tales nominat, qui *quadrageſimum* annum exceſſerint. Dum autem etiam, poſtquam

de

de *Iuvenum* constitutione *Ischiadica* loqui suscipit, mox non solum de *decubitu ad crura*; de obsessione *Lumborum*, imò ad *superiora* conversione, & *viscerum inflatione* seu magnitudine: sed etiam *vehementibus doloribus alvi, absque* ejus *exturbatione*, imò *strepitibus* in ventre, percontari aggressus, quin de *capitis doloribus*, & pungentibus pruriginibus in Metaphreno: Tunc demum progreditur ad illa, quæ jam *olim*, antequam his talibus obnoxii fierent, illis *familiaria* fuerint, sed CESSAVERINT: Adeoque non tam directè illa ipsa ejusmodi *prægressa*, sed propriè CESSATIONEM illorum, hæc jam præsentia secuta sint. Tandem autem subdit etiam illa, quæ *instare, concurrere, subsequi*, soleant: vbi nempè tam *mucosarum*, quam *sanguinearum*, ex *ano* excretionum, sine *exturbatione*, aut *successu liberaliore*, alvi, meminit. Vbi tandem etiam, postquam asserunt, quod hæc talia iis obtingant, quibus *in pueritia & adolescentia consvetum* fuerit *Sangvinem è naribus fluere*, sed postea *cessaverint*: De hoc interrogandos esse inculcat. Etiam inquit statim, illis hæc evenire, quibus *dolores alvi vehementes* familiares sint: Etiam, inquit, illis quibus HÆMORRHOIDES γίνονται, FIUNT. Jam verò obsignat hanc rem disertè: HÆC IPSA ENIM SUNT INITIA HORUM MORBORUM. Liberum mihi certè erit hæc ipsa ad ordinem *Ætiologicum* disponere; ut liberum cuivis, suo quantum placet sensu abundare: quod ita facio. Quibus *pueris & adolescentibus*, *adsvefieri* contigit, *sangvinem è naribus sæpe multumque profluere*; si hæc *evacuatio cessat*, non statim cessant *molimina* quoque: (Et hic ab Hippocrate laudatum τὸ τρέπεθαι εἰς τὰ ἄνω, illud sursum *vergere, tendere, verti, ferri*. Unde *capitis, Metaphreni, oculorum* (uti denuò interrogare mandat, *an sangvis in juventute fluxerit*) pathemata:) *Augescente* autem *ætate*, ad *juventutem* strictè dictam, inter XXV. ad XXXV. annos, *alvum* etiam his affici *doloribus*, circa *Lumbos & Coxas* obstinari pathemata, *alvum vehementer dolere, sine exturbatione*: quos dolores solvat *repentinus strepitus*, nempè *provolutio flatuum inclusorum*: Tandem HÆMORRHOIDES FIERI. Quando hæc ita *deorsum* τρέπεται, vel hæc modo dicta fiunt, vel protenduntur ipsi dolores adhuc ultrà, per *femora ad poplites*, per *tibias ad pedes*,

Podagrico τρόπῳ: Sin autem desinant hæc talia citrà dolores *podagrici hujus tropi* seu moris, quamvis circà *artus*, cum *doloribus* quin etiam *Tumoribus* inceperint, his fiunt *retrocessiones ad interiora*, *inflationes*, imò aliquando *inflammationes*, *viscerum*, quod *Hippocrates* hic *viscera magna* vocat; In antecedentibus nominatim *splenem magnum*. Imo verò fit, in magis ferè adhuc *ad superiora vergentibus* hujusmodi commotionibus etiam accidens illud, quos hic *Hippocrates nocturnos* vocat, *matutinorum sudorum spontaneorum*. His rebus si jam jungantur *motus tonico-spastici*, tanquam veri *architecti*, aut certè *vectes* & *instrumenta valida*, hujusmodi τρέψεων, *sursum* aut *deorsum*, *extrorsum*; ἐς τὰ ἄρθρα, aut *introrsum*, ad τὰ σπλάγχνα, *conversionum*: Et horum talium *spasticorum motuum contentiones*: Et harum etiam accidentales, *in sensum*, & *stagnationes*, Energiæ: Quin tandem omnium hujusmodi rerum, ab una *asvetudine* temerè *cessante*; progressus ad *novas*, *locis & modis* (antiqua autem *pertinaci contentione*) *Consvetudines*: Habebitur ita non solùm *vera Pathologia*, *connexio*, *conspiratio*, & mutua *dependentia*, quin imò *reciproca conversio*, horum affectuum: Sed hæc ipsa quoque, adeò quoque *certa* atque *firma*, ut ipsi omninò *securè*, qui hic est *totus scopus Hippocratis*, *PROGNOSIN* superstruere, integrum sit: Adeò, ut etiam confidenter *polliceatur*, pro colophone totius hujus rei, quod de talibus rebus interrogati, illas certò fassuri sint, imò simpliciter elocuturi, seu enarraturi. Hanc certè *Historiam Pathologicam*, uti hic disertis verbis Hippocrates memorat, ita proximè præcedentibus etiam pluribus textibus, satis Parallela recenset. Imò tam altè insedit mentem vel *Hippocratis*, vel *antecessorum* ejus, *Ischiadici doloris propior ratio*, *â partibus & causis hæmorrhoidalibus*, ut revera etiam *Libro de Affectibus*, (licet *materialem* causam peculiari illi usitato humori, *bili cum pituita*, imputet;) *partem* tamen, tanquam *causam conjunctam* peculiarem, nominet prorsus inusitatam, nempè *Venam Hæmorrhoon*, per quam hic humor ita circà crus vagetur. Has res cum revera nusquam in *opinione*, sed verè in ipso facto ita *existant*, quamobrem nec *Hippocrates*, neque *posteriores*, nec imprimis *Recentiores*, pro vera sui dignitate penitius perpenderint, & illis etiam plura talia Phœnomena, quæ ex hujus modi tanquam communibus fontibus fluunt, ipso jam etiam *Hippocrate* hinc inde, imò in ipsa hac sectione, suffragante, conjungendo, veram *historiam pleniorem* ita absolverint, & quantum omnes hic impediverint, commenta *Crasewn* humorum, neglecto (a Recentioribus) *motu* illorum *translatorio*, facilè esset arguere: Sed tempus & locus non sinunt.

Sistere hæc placuit publico, dum sistendus est, & meritò commendandus publicè, Vir Juvenis egregiè in arte nostrâ doctus & exercitatus

DN. JOHANNES CHRISTIANUS KUNDTMANN,

Vratislaviâ Silesius, Medicinæ Candidatus dignissimus.

NAtus hic eſt Vratislaviæ, notiſſimæ celebritatis Metropoli Sileſiæ. Patrem habuit Virum Ampliſſimum DN. JOHANNEM SAMUELEM KUNDTMANN, Præfecturæ Vigiliarum Prætorianarum Locum tenentem: Matrem fœminam honeſtiſſ. REGINAM ROTHERIAM. Fuit autem *KUNTMANNORUM* nomen etiam jam pridem in Saxonia maximè ſecundæ famæ, ubi Proavus Noſtri, *D. SYLVESTER KUNDTMANN*, Sereniſſimi *JOH. GEORGII II.* Archiater, doctis etiam ſcriptis celebris, vixit: Avus autem *M. JOHANNES KUNDTMANN*, Holdenſtadii Paſtor vigilantisſimus fuit. Horum Parentum probiſſimorum, poſt educationem honeſtam, cura fuit præcipua, ut bonis litteris & artibus, capax imprimis ingenium filii, optimè excoleretur. Quem in finem eundem demandaverunt dexterrimæ pariter atque fidelisſimæ inſtitutioni, poſt domeſticos Præceptores, Clariſſimorum Magdalenæi celeberrimi Gymnaſii deinceps Rectorum, B. *DN. GRYPHII*, & *DN. KUPFFENDERI*: nec non *DN. POLII* & *DN. TITII*, quos omnes gratâ mente, honoris causâ, nominat. Poſtquam autem etiam jam illo tempore, Medico imprimis ſtudio animum adjiceret, & brutorum anatomicæ ſectioni operam adhibuiſſet, maturus tandem Academicis etiam ſtudiis judicatus, cum ipſo anni MDCCV. auſpicio, Illuſtriſſimam Regiam *VIADRINAM* adiit: mox tamen inde ad hanc Regiam *FRIDERICIANAM* tranſiit. Ubi quidem, privatiſſimè, univerſum Curſum Philoſophiæ, laudabili penitus ſtudio, proſequi ſuſcepit, & apud Excell. *DN. D. GUNDLINGIUM*, hiſtoriam litterariam commemorari audivit: nec non publicis lectionibus Magnifici hodie Pro-Rectoris & Conſil. Int. Sax. *DN. THOMASII*, auſcultavit. Pro ſcopo verò ſuo directo, omnibus, quæ à Profeſſoribus Ordinariis proponebantur, Collegiis, prorſus aſſiduum auditorem ſe exhibuit. Unde apud Excell. *DN. D. HOFFMANNUM*, Collegium Phyſicum curioſum, etiam bis; nec non Geographicum Phyſico-Medicnm, Chymicum experimentale, Com̃. in materiam medicam, Caſus foren-

ren-

renſes Medicos, & Ideam Medicinæ, audivit. Meis autem etiam Collegiis, de uſu Anatomiæ Phyſiologico-Medico, Chirurgico-Medico, Phyſiologico, & publicis Lectionibus errores hodiernorum Phyſiol. oſtendentibus, Pathologico quoq;, Therapevtico, Practico-Dogmatico, & Chymico verè experimentali, nempè experimentorum rationes ſolidas, pariter experimentales, ſiſtenti, cum ſumma aſſiduitate interfuit. Quin etiam propiore adhuc tempore, Panto-mathematicum Excell. *CHRISTIANI WOLFII*, Mathem. P.P. celeb. unà cum pluribus aliis, percepit. Tandem ad ipſam Praxin transferre geſtiens, quæ ita varia atque plurima percepit, & ſibi ipſi in poſterum ſufficere confidens, petiit à Facultate noſtra, ad conſveta examina admitti, in quibus egregios profectus exhibuit. Non ſtatim inde ad ipſam diſputationem progredi potuit, oblatâ ſibi, inprimis deſideranti, occaſione commoda, metallifodinas, præcipuè Hercyniæ Sylvæ, tum etiam Mansfeldicas, perluſtrandi, & univerſas ibi uſitatas operationes circà metalla, perſpiciendi. Excurrit autem, invitante occaſione, etiam ad ipſos Batavos: ubi Amſtelodami, Medicos Celeberrimos, *COMMELINUM*, *RUYSHIUM*, & *RAUW*, quamvis per breve tempus, audivit, exotica, anatomica curioſa, & Chirurgica, exhibentes. Neque vero tacendum, quod peculiari fato, ſuis oculis conſpexerit non ſolùm verum effectum transmutationis ignobilis metalli in purum aurum, exigui pulvilli injectione, citò perpetratam: Sed etiam duarum propemodum unciarum hujus ejusdem, ex largitione artificis, particeps factus ſit. Peragratis porro præcipuis Belgii Civitatibus, & ipſo etiam campo, in quo pridie ejus diei victoria de Gallis reportata fuerat, proxime Audenardam: quin etiam, in tranquillis à Bello locis, ſicariorum latrocinio vix fideli monito præreptus, ſextum poſt menſem ad nos reverſus, nunc ultimum ſolenne ſpecimen edere conſtituit, DISSERTATIONE INAUGURALI de REGIMINE. Ad quem actum ſolennem SERENISSIMUM PRINCIPEM SAXONIÆ Magnif. Pro-Rectorem, reliquosque Illuſtrisſimos, Illuſtres, Maxime Reverendos, Excellentisſimos, Generoſisſimos, Nobilisſimos atque Doctisſimos, Academiæ noſtræ Proceres, Fautores, Cives, pro officii ratione, cum omni honore debito atque obſervantia invitamus. P. P. Halæ Magdeburg. d. XXV. Sept. MDCCIIX.

(L.S.)